



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1561. usque ad annum 1562

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118596**

§. 55. Regia libertas comprobata , ac Januarii edictum publico scripto confirmatum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66624](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66624)

erat nominatus, ac Navarræ Regnum Antonio Regi se redditurum pollicebatur, ea lege, ut hic contra sectarios arma caperet, si vero istorum partibus adhereret, Guisus Dux cum Regiis copiis, aliisque, quas Philippus submittere promisisset, illum bello invaderet: huic quoque foederi accederent Pontifex, & Catholici Helvetiorum Pagi æque ac Imperator, qui interea operam dabit, ne ulli militum delectus in Germania a Protestantibus in sectariorum opem haberentur. Ceterum circa hoc foedus Thuanus hæc subjungit: *de hujus foederis fide ut merito dubitem, sicuti multa me movent, ita credulos, ac suspensos novarum rerum spe animos non solum apud nos, sed in Germania, ac per totum Septentrionem ejus evulgatio pro tempore tantopere commovit, ut in hisce regionibus ob falsum hunc rumorem ingentes pecuniarum summæ pro hoc bello in Calvinistarum favorem corraderentur, cunctique Protestantes Principes copias conscribendi facultatem Condæo Principi concederent.*

§. LV.

*Regia libertas comprobata, ac Januarii edictum publico scripto confirmatum.*

Ff 4

Eo-

Sæcul. XVI.  
A.C. 1562.

*Thuan. l. c.*

*Beroit hist.*

*de l'Edit. de*

*Nantes l. I.*

*p. 31.*

*Davila*

*p. 114. l. 3.*

Eadem die, qua hoc Condæi Principis scriptum Aureliæ promulgabatur, Parisiis quoque divulgatum est edictum, quo Rex æque, ac Regina sic declarabant: „sparsus de nostra captivitate rumor falsus est, & a Condæo, qui æquitate obtentum turbulentis consiliis suis quærit, calumniose confictus, nam nos sponte, non coacti Lutetiam venimus, ut de motibus componendis consultarem, & idonea ad id remedia adhiberemus.„ Ceterum triduo post, atque eodem die, quo Condæi Principis, & Sociorum fœdus Aureliæ publicatum est, cum metu suspicionibus aucto nihil pacati a Protestantibus expectaretur, ut omnis illis tumultuandi occasio præcideretur, ex Regina, Navarræ Regis, Borbonii, & Guisii Cardinalium, Guisii Ducis, Montmorantii Connestabilis, & Aumalii consilio alterum diploma divulgabatur, non ad Curiam, sed ad Prætores, seu Præfectos, & eorum Legatos, qui curiæ subsunt, directum, quo Januarii edictum denuo confirmabatur, sancita rursus præteritorum oblivione, eoque aut Religionis causa cuiquam molestiam, aut periculum creari prohibebatur, & publice itidem cœtus ubique habendi, ac concionandi Protestantibus libertas concedebatur, præterquam Lutetiæ, in qua, & subur-

biis

biis ejus, & intra *banleucam*, uti vocant, Sæcul. XVI.  
A. C. 1562.  
coetus fieri, aut sacramenta alio, quam  
recepto antiquitus ritu, celebrare veta-  
batur.

§. LVI.

*Rothomagum, aliæque urbes a Cal-  
vinistis occupatæ.*

Postremo hoc edicto, quamvis Prote-  
stantium factioni plurimum faveret, Thuan. l. 5.  
Mem. de  
Castelnau  
l. 3. c. 9.  
nondum tamen eorum rabies placari  
poterat, quinimo ut furorem suum eo  
firmius non sine gravi Catholicorum di-  
spendio exercerent, Maris Præfectus  
Condæo Principi auctor extitit, ut no-  
biliores Regni urbes invaderet, prius-  
quam Triumviri illas validis præsiidiis  
munire possent. Arrepto hoc consilio  
mox Condæus Nobiles suos emittebat  
ad omnes urbes, ubi Calvinistæ promo-  
vendæ huic expeditioni viribus haud  
impares erant: cum autem emissarius  
ille, qui Rothomagum petebat, majori  
ceteris celeritate accurreret, hanc ur-  
bem ferme sine ullo armorum strepitu  
in suam redegit potestatem, ac prospe-  
ri successus fiducia elatus Roberto Mar-  
chiano Bullionio Duci, ac Normanix  
Provinciæ Præfidi, quem Rex eo able-  
gaverat, vetus Palatium ingrediendi fa-  
cultatem denegabat, unde is sese reci-  
pere cogebatur. Capta Rothomagenfi

F f 5 urbe